



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

25 Iuramentum litus decisivum habet vim rei iudicata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

instrumenta, de fid. instrumen. tunc enim excepta parte, & ejus consilio ordinatur monitorium currere debere, quoad reliquas personas incertas.

24 Secundò, † licet monitoriales concedi possint, tam antelitem cœptam, quam post, extrad. per Naviz *sub eodem verb monitoria, colum. 7. & Abb. consil. 15 numer. 2.* potest tamen opponi exceptio rei judicata: quia post sententiam latam, quæ transitum fecit in rem judicatum, non sunt concedendæ, ut *l. si quis eorum, §. planè, & §. ancillam, ff. de except. rei judicata, l. post. rem ff. de rei judic. & Bart. in consil. ad reprimendum, in ver. denunciationem, numer. 15.*

25 Tertio † obstat exceptio juramenti litis decisivi, quo oblato, & præstito, habet vim rei judicatae, & litis finitæ, *capit. & si Christus, de jurejurand. l. 2. l. admonendi; & l. jursurandum, ff. eodem tit. & Bart. in ead. consil. ad reprim. in ver. denunciationem n. 16.* qua stante, litteræ monitoriales publicari non debent.

26 Quarto † potest opponi exceptio transactionis juratæ, ex qua oritur exceptio, prout ex jurejurando, & ex sententia gloss. *in ead. l. 2. ff. de jurejurand.* quam sequitur Bart. *ibi nu. 2. & in casibus, in quibus transigere licet, transactio impedit processum, Bart. post gloss. in l. accusationis, num. 3. C. quod met. cau.*

27 Quinto † legitima præscriptione quilibet est tutus in foro conscientia, ne teneatur denunciare, etiam, si ea legitimè completa, mala fides superveniat, ut post gloss. & alios, Abb. *in cap. vigilantium, num. 8. & ibi Felyn. post plures alios, quos citat, num. 11. de prescrip.* Nam forum conscientia à foro contentioso, non differt, ubi canon

disponit super certo, secus, ubi lex, vel canon procedit, præsumendo in materia, quæ verè scire non potest; quia, si veritas aliter se habet, illa sequenda est in foro conscientia, ut ibi per Felyn. *ver. & intellige.*

28 Sextò, † potest opponi exceptio tua interest, si quis enim obtineret litteras monitoriales cum capitulis concernentibus bona, in quibus de interesse capitulantis non ageretur, non essent publicandæ, sicut nec in beneficialibus, si alter colligantium litteras monitoriales obtineret, & non haberet canonicum titulum, quia tunc pars non tenetur propalare, sed posset comparere, & cursum monitorialium impedire, Navar. *in consil. mihi 7. numer. 1. de sentent. excomm. par. 2.* Et quòd solùm concedantur ad eorum instantiam, quorum interest, statuit Pius Papa V. *in litteris supra num. 21. citatis.*

29 Monitoriales † hæc excommunicatis concedi non possunt, Abb. *in cap. novit, nam. 32. in ver. additio. de jud. & Neviz. in syl. nupt. ubi supra nu. 47. vers. limita primò.* Eademque ratione Judæis non sunt concedendæ, quia cum in spiritualibus non ligentur lege canonica, & de eorum anima non cæretur, *cap. gaudemus, de divort. & Felyn. in cap. ludæi, il. 2. de lud.* frustra auxilium legis canonicè implorat, qui in eam committit, *l. auxilium, & ibi Bart. nu. 1. ff. de minor.*

30 Excommunicationes † graviores continentur in Bulla quorundam die Cœnæ Domini solemniter legi, & publicari solita, quarum unam, & viginti enumerat Navar. *in Manual. cap. 27. à num. 55. usque ad numer. 74. viginti autem Card. Tote. in inst. sacer. lib. 1. c. 19. usque ad cap. 20. &*

Gre 3.